

**Quaestio medica, an minor, in foetu quam in adulto, partium solidarum
abrasio? / [Simon Antoine Bringaud].**

Contributors

Bringaud, Simon Antoine.
Jussieu, Bernard de, 1699-1777.
Université de Paris.

Publication/Creation

Paris : Quillau, 1751.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/arkafdup>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCAE
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discurienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesimo-tertio
mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LI.

M. BERNARDO DE JUSSIEU, Regiæ Scientiarum Academiæ,
Regiæque Societatis Londinensis Socio, & in Horto Regio
Botanices Prodemonstratore, Doctore Medico, Præside.

An minor, in fœtu quam in adulto, partium solidarum abrasi?

I.



UMANUM corpus indefesso labore rimanti, præter fluida &
solida, nihil fit obvium: solidorum, quotquot hanc nostram arte
adeò stupendâ machinam exstruunt, vasa nempè, viscera, muscu-
li, tendines, cartilagines, ossa, &c. à liquidis haud ineptè genui-
nam deduxeris originem; *solida enim in primo suo ortu, à liquidis*
undè orta sunt, quiete, cohaesione, figurâ tantum discrepant; necdum
si tanta te moyet authoritas; attentis oculis ovulum intuere: quid præ se fert aliud,

Inst. Med. Boeth.

A

nisi viscosum colliquamentum? Totius tamen est hominis indè nascendi aggregatum; iisdem igitur constant elementis in fœtu solidæ partes ac in adulto; eadem in utroque se prodit fibrarum series, & idem præstant munus; quibus tandem in hoc coagmentantur & crescunt, iisdem in illo reparantur legibus; porrò, si quid inter se discriminis habent, illud sanè à vario cohæsionis elementorum gradu solummodo repetendum. Reverà quidem fibræ in embryone pulposam & à fluxilitate vix abludentem affectant mollitatem; dum in pueris plures jam annos natis quandam soliditatis induunt speciem: at verò fluida solidos intrà tubos coercentur, moventur, & vicissim *vasa cum nexis instrumentis* movent, eorum parietes atterunt, abradunt, mutant; hinc alimenti in nostram naturam vitæ viribus convertendi necessitas ineluctabilis: verùm quo citiori motu feruntur fluida, eò major indè partium solidarum abrasio.

I I.

QUO motu sanguis solidis partibus nutrientis appellit, eo ipso labem ipsi inurit, nec sibi magis indulget; quandiu enim stat vita, sanguis ad minima quæque corporis puncta per arterias propellitur; cùm autem variis & prope modū infinitis, quas patitur, collisionibus, hinc & indè disseminatos obices illibatus superare non valeat; sui ipsius, ut ita dicam, *annihilationem* perpetuò molitur; jugi enim motu pressuque attritus in minutissimas comminuitur moleculas, & ad exhalantia *vasa* ita propulsus sub insensilis perspirationis formâ foras amandatur: motus tamen ille idem plurimum conducere jure merito sanè judicatur; ita simul una eademque opera sanguinem conficit, destruit & eliminat: porrò quò majori velocitate devehitur sanguis, eò citius resolvitur; dum enim velocius movetur, frequenter ad se mutuò & ad renitentes vasorum parietes alliduntur ejus moleculæ, vividius & indè solida reagunt in fluida; hinc major attritus, promptior attenuatio, divisio summa ac tandem resolutio; dum autem hæc peraguntur, intactane tibi fixeris solida; sors eadem utrumque premit; hinc ipsa abraduntur suâ quoque vice detrita: certè quidem auro, metallo omnium solidissimo, nudis etiam leniter sed diù tractato digitis & terso, detritæ aureæ atomi cuticulæ plicis incuneantur; quanto igitur faciliori negotio deteri debent & limari tenerrima corporis humani *vasa*, dum assiduò & violenter in illis exercitatæ fluidorum moleculæ, vi validâ, nec interruptâ in eorum parietes impingunt & arietant; ideo quidem brevi collabasceret humana machina, nisi tantum & tale restitueretur in humoribus & in solidis, quantum & quale per eorum motus absimitur.

Nec sola ea est solidorum abrasionis ratio; quemadmodum enim sanguinis deteruntur moleculæ, dum sibi mutuò vasorumque alliduntur lateribus; sic & ipsa quoque abraduntur solida. dum sese invicem proprius attingunt, sanguinisque validius premunt moleculas; alternis enim *vasa* succutiuntur motibus, modò liquidis prementibus explicari sinunt & tunc exiles ex quibus coalescunt fibræ, à se invicem diducuntur & à proprio removentur contactu; modò sui juris facta, eo quo gaudent elatere in sese ruunt invicem & contrahuntur; hinc fibrarum & vasorum attritus; velocior autem fluidorum motus frequentiorem evincit vasorum contractionem sive restitutionem, ac proindè attritum; ex velociori igitur fluidorum motu, major deducenda solidorum abrasio: fluida porrò in fœtu longè segnius moveri patebit ex dicendis.

I I I.

ISDEM circuli vitalis legibus subjacet tener embryo, quibus & ipse adulatus; contracto enim corde, & famulantibus arteriis ad extrema corporis sanguineus provolvitur latex, venarum indè beneficio cordi iterum committendus;

H tamen in fœtu eam exceperis partem, quæ ex iliacis in placentam derivatur; at quām varium, toto vitæ stadio, velocitatis gradum sortiatur sanguis, solus verè novit physiologus; sibi enim proprium ætas unaquæque sibi vindicat; quin imò uno aut altero temporis momento vix idem deprehenditur; puerilibus annis frequentissima persentitur cordis contractio, arteriarum pulsus rapidissimus simul & parvus percipitur; maxima enim est hâc ætate liquidorum movenda moles, hinc resistentia non mediocris, corculo infantili frequentius contracto solummodo superanda; verū dūm fluxiles congeruntur anni, novum ac novum cordis & arteriarum fibris robur additur, solidescit quæ laxa priùs erat, earum compages, ideòque motui propagando aptiores evadunt; hinc validiores enascuntur cordis contractiones & arteriarum pulsus, lentior quidem peragit circulatio, sed vehementior: eo pedetentim ordine procedit vitalis circulus donec ad ænūn pervenerit, ab annis 25 ad 40; viribus tunc temporis, quas ultrà sperare nefas, pollent cor & arteriæ; cor proinde validissime contrahitur, pleno gurgite sanguinem in appensas eructat arterias, vi summâ distenduntur expansiles, & suâ quoque vice haud impari renixu reagunt; hinc vis vitæ & circulatio nunquam major, sanguis enim hâc ætate missus ater erumpit, certissimum sanè cordis & arteriarum roboris indicium.

Fugit tandem illa dies quâ nulla lætior & tanquam effusis properat habenis senectus ærumnosa: magis ac magis operosum succedit circulationis momentum; liquidis enim corde impulsis flecti indociles reluctantur arteriæ, cor frequentius quidem contrahitur sed longè debilius; hinc durus & frequens in senibus arteriarum pulsus. Variam cordis & arteriarum excipit conditionem varius sanguinis impetus; quò majori pollent elatere vasculares fibræ, eò validius absolvitur vitalis illa functio; jam nunc conversâ in fœtum utero matris adhucdūm hærentem mente etiam minùs attentâ, totam ejus molem pulpam tantùm non fluxilem exhibere nonne in propatulo est? Quis igitur in pulposis adeò vasis elater? Quis proindè sanguinis impetus?

I V.

TE PENTIBUS aquis circumvolvi fœtum in utero nec novum nec inauditum: quis igitur tam incautus remissorem indè esse fibrarum elaterem, imò & ferè nullum inficias ibit? Invicta undequaque scatent argumenta, nec levius est momenti sequens exemplum. Homo sanus & vegetus tepido ad horas aliquot immissus balneo ferè totus ut plurimùm fatiscit: quantò igitur potiori jure fœtus? elater in fœtu ferè nullus, languida proinde in ipso circulatio. Nec tibi fucum faciat stupendum illud tam exiguae ab ortu molis incrementum, imò maximum inde nostræ huic sententiæ momentum superadditur; scaturit enim ex gemino fonte portentosi istius incrementi ratio; hinc fœtus aptum nutritioni laticem duplī ad minimū viâ excipit uberrimè, illinc ferè nullum, pro ratione minimi fluidorum motū, sui patitur dispendium. Quid proindè mirum, quòd ex puncto phisico in tantam citò excrescat molem. Jamjam inclinantem suspensam, quælo, detineas mentem; est enim undè liquidiū elucescat hujus asserti ratio; negata in fœtu inspiratione, negatur & lotii & fæcum emissio; habeas igitur pro novem mensium tūm fœcum, tūm urinæ summâ, eam quam statim à partu emittit novus aëris hospes: reverâ quorsum urinæ fictitium in fœtu diverticulum; languida est circulatio, proinde & ipsa secretio: porrò secreta materies, remotis removendis, fluidorum motū norma est haud infida; quis igitur perspectâ parvâ admodum fœtûs à partu emissâ urinæ copiâ in dicendo titubabit? quis pariter tot rerum momentis innixus languidum esse in fœtu fluidorum motum ac ferè nullum dubitabit asserere? Ne tamen nimis adhuc præceps eruatur conclusio; haud insolitum motū validioris effectum paucis perstringamus; quò major est sangu-

nis impetus ; eò promptius & uberiùs extricantur sales & olea ac proindè saturatior urina ; ast in fœtu blanda est , vix colorata , vix odora , vix tandem sapida ; ergò fluidis in fœtu altum ferè conceditur otium : feriatur & aliundè musculorum motus , altera nec minor torpentis fluidi ratio : Cùm autem solidorum abrasio penè tota sit in ratione motūs ; quis jam dubitaverit longè minorem esse in fœtu , cæteris paribus , quām in adulto solidarum partium abrasionem.

V.

ET certè rem paulò altius trutinanti , nunquam non elucescat veritas à nobis asserta ; si enim fœtus ab incunabulis tanto sui dispendio foret obnoxius , vel nunquam adolesceret embryo , vel ad annos saltē uteri blandum desideraret hospitium ; ne mireris ergò fœtum in utero jacentem vivere & crescere legitimo quandantenūs immunem tributo : reverà si quid ipsi solvendum foret , illud sanè pro ratione fluidorum motūs & craseos : porrò in fœtu sanguis diurniores eundo necit moras ; ergò impetus languidior ac proindè ferè nulla solidorum abrasio ; certò nunc suffragantem liceat accersere sanguinis crasim ; nonne insulsus dulcissimum refert lactis recens educti saporem ? Salibus igitur nondum exasperatur , ac proindè ad abradendum prorsùs est inhabilis : nec minor accedit ratio ab ipsiusmet sanguinis tenuitate , pulposaque vasorum flexilitate ; quid enim ad atterendum valet , pressioni fluidum facillimè cedens , dum lenissimo motu solidum ultra fidem flexible osculatur & alluit ? Quæ cuncta si conferantur cum adulto , quanta disparitas , quāmque stupendum discrimen ! Nonne enim in adultis hoc evincunt cystica bilis & urina ? Prior acerrimum quid sapiens , altera salibus & sulphure fœta. At insurget forsàn aliquis , lanuginoso nexu sibi invicem in fœtu cohærent elementa fibrarum ; ergò facilè admodum abradenda. Minimè quidem ; attritus enim & abrasio resistentiam supponunt , quæ quidem in fœtu ferè nulla est ; hinc quemadmodum sæviente euro flexilis cedit arundo , nec avellitur ; sic abrasioni reluctatur summa in fœtu solidorum flexilitas ; proindè in proclivi est deducere conclusionem.

Ergò minor , in fœtu quām in adulto , partium solidarum abrasio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudio-Franciscus Grand-	M. Ludovicus Alexander Ger-	M. Andreas-Josephus Serone-
clas , Stanislai Poloniarum	vaise.	
Regis , Lotharingie & Barræ		
Ducis Consiliarius & Medicus.		
M. Joannes-Franciscus Clemens	M. Ambrosius Hosty . Legatio-	M. Thomas-Renatus Gasnier.
Morand , Regie Societatis	nis Anglicæ Medicus ordina-	
Lugdunensis Socius.	rius.	
M. Marinus Nouuez.	M. Franciscus Thierry.	M. Guillelmus de Magny.

Proponebat Parisiis SIMON-ANTONIUS BRINGAUD , Pontælianus ,
Rothomagensis , Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus ,
A. R. S. H. 1751. A SEXTA AD MERIDIEM.